



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De muribus, qui hostias non benedictas rodentes, litteras non tetigerunt,
cap. 11.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

Nondum annus vt puto transiit, quòd hostiæ plures a ministris propter fissuras siue pustulas reprobatae, in Eberbaco in fenestra altari contigua projecta sunt, accedentes verò mures omnia, quæ erant extra circulos, deuorabant, litteras verò & quæ intus erant in nullo penitus ladebant. Sacrista ista considerans, reputauit pro miraculo. **A P O L L O N I V S**: Quid est quæso, quòd mures vel vermes in sacramento altaris comedunt? **CÆSARIVS**: Species tantum, in illa Christus videtur & tangitur, & ab indignis injuriatur: corpus eius verum, quod sub illa latet, glorificarum est, & quia immortale est, nõ potest corrumpi: quia splendidum est, nõ potest a nobis videri: quia subtile est, non potest a nobis palpari: a sacerdote quidem tenetur, sed non tangitur, nisi mediante specie. Species ipsa videtur, tangitur, frangitur, masticatur, satiatur, corrumpitur, & injuriatur: quando aliquid horum attribuitur corpori Christi, de specie debes intelligere. Tanta est gloria huius sacramenti, vt non solum bruta, in quibus anima mutabilis est, sed & insensibilia elementa, virtutem eius sentiant, verbi causa.

CAPVT XII.

Tempore illo quando manifestari cœperunt hereses Albienfes, quidam maligni, virtute diabolica suffulti, quædam signa atque portenta ostenderunt, quibus & eadem hereses roborauerunt, & multos fidelium in fide subuerterunt, super aquas ambulauerunt, & non sunt summersi. Cernens hoc sacerdos quidam, fide catholicus & vita religiosus, sciens vera signa cum falsa doctrina esse non posse, corpus Domini cum pixide ad flumen, vbi illi populis suas ostensuri erant virtutes, deportauit, dixitque in audientia omnium: Adjuro te diabole per eum, quem in manibus porto, ne in hoc flumine, ad huius populi subuersionem, per hos homines, tantas exerceas tantatias. Post hæc verba, illis super vndas fluminis ambulatibus, vt prius, sacerdos turbatus, corpus Dominicum

*Elementa
ita sunt,
& primo
A.
qua.*